

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dissertatio Triplex Theologica, Ad Mentem Præclarissimi
Ecclesiæ D. S. P. Avgvstini, (Cui consonat Doctor
Angelicus cum Melliflvo,)**

Schweitzer, Johannes


Coloniæ Agrippinæ, Anno M.DC.LXXXII.

Dubium octavum. An primus homo fuerit ante lapsum beatus beatitudine
patriæ secundùm Augustinum?

urn:nbn:de:hbz:466:1-39320

Probatur ex l. 11. de civit. c. 12. ubi S. Augustinus ait: *Quantum itaque pertinet ad declaracionem presentis boni, beatior erat primus homo in paradyso, quam quilibet justus in hac infirmitate mortali.* Idem colligitur ex c. 26. ubi ait: *Vivebat homo in paradyso, sicut volebat, quamdiu hoc volebat quod Deus jusserrat. Vivebat fruens Deo; vivebat sine ulla egestate;* hæc enim non possunt dici de hominibus justis in hac misericordia valle.

Dico secundò: Justi in hoc statu de sua beatitudine securi sunt feliores, quam fuit primus homo in paradyso. Ita Augustinus loco cit. *Quantum autem ad spem futuri boni, beatior quilibet in quibuslibet cruciatibus corporis, cui non opinione, sed certa veritate manifestum est, sine fine se habiturum omni molestia carentem societatem Angelorum in participatione summi Dei, quam erat ille homo sui casus incertus, in magna illa felicitate paradi.*



DUBIVM OCTAVVM.

An primus homo fuerit ante lapsum beatus beatitudine patriæ secundum Augustinum?

Ratio dubitandi sumitur ex variis Augustini testimoniis, quibus videtur afferere, primos homines

ante

ante casum fuisse beatos beatitudine patriæ, ut patet ex objectionibus.

Respondeo & dico: Primus homo secundum Augustinum ante lapsum non fuit beatus beatitudine patriæ. Colligitur primò ex illo Ench. c. 25. Mortis supplicium Dominus ei comminatus fuerat, si peccaret, sic eum munerans libere arbitrio, ut tamen regeret imperio, terreret exitio; atque in paradisi felicitate tanquam in umbra vita, unde justitia custodita in meliora conscenderet, collocavit; ubi per meliora intelligit Augustinus beatitudinem patriæ; ergo sentit, quod eam nondum in paradyso habuerit, sed consecuturus fuisset, si in justitia perseverasset. Et ibidem ex c. 104. ubi ait S. Pater: Primum hominem Deus in ea salute, in qua conditus erat, custodire voluisse, eumque opportuno tempore post genitos filios, sine interpositione mortis ad meliora perducere, ubi jam non solum peccatum non committere, sed nec voluntatem posset habere peccandi, si ad permanentem sine peccato, sicut factus erat, perpetuam voluntatem habiturum esse præscisset.

Colligitur secundò ex l. de cor. & grat. c. 10. ubi ait: In quo statu recto ac sine vitio, si per ipsum liberum arbitrium manere voluisse, profecto sine ullo martis, & infelicitatis experimento acciperet illam merito hujus permanensis plenitudinem, qua & sancti Angeli sunt beatiti: ergo secundum Augustinum primus homo non fuit creatus in statu beatitudinis, sed haec illi pro præmio perseverantiae fuisset danda. Quod confirmari potest ex l. 14. de civit. c. 10. ubi docet, quod primus homo cum posteris suis, si non peccassent, permane-